



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius


Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXLVI. Crux ignominiosa Christo Salvatori nostro summam
causavit, & peperit gloriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXLVI.

CruX ignominiosa Christo Salvatori nostro summam causavit, & peperit gloriam.

Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philipp. 2. 9.

1.

Jerem. 11, 19.

Mittamus lignum in panem ejus, dicebant quondam impii Judaei ad Jeremiam Prophetam, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Sed quod magis cives in Anathot Jeremiam volebant deprimere, & ad necem ad crucem postulare, eò magis in oculis Dei Vates ille divinus exaltatus, & defensus est. En perelegantem typum in Christo expressum, quem proprii cives ad lignum crucis instanter postularunt, ut memoriam ejus extinguerent, eumque de terra viventium eliminarent; sed contra accidit: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, dum dedit illi nomen DEI & Filii DEI, quod nomen solum propriè super omne aliarum creaturarum nomen est, ad quod, ut mox in textu sequitur, omnes genua flectant, & adorent: Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & inferorum.* En quantum crux exaltavit Filium Dei! ò si amas crucem, anime mi! exaltabit & te usque ad thronum & conspectum Dei.

Marc. 16, 6.
S. Cyrill.
Cath. 13.

2. Venerunt in die resurrectionis inchoante jam nocte ad S. sepulchrum Christi Domini Sanctae Mulieres, Maria Magdalene, de qua prius Dominus septem daemonia ejecerat, Maria Jacobi Minoris & Judae Mater, & Salome Mater Jacobi & Joannis Apostolorum, ut secundum morem Judaeorum odoriferis aromatibus ungerent Jesum; quibus apparuit de caelo Angelus, & quia timidæ erant, eas consolatus est: *Nolite expavescere; Jesum quaritis Nazarenum, crucifixum? Et quid est hoc, subintrat hic S. Cyrillus Hierosolymitanus: Non potuisti dicere, & Angele, scio quem quaritis meum Dominum? Cur ergo dixisti crucifixum?* R. S. Cy-

R. S. Cyrillus: *Confidenter dicit, scio, quia crucifixum quaritis: corona enim est crux, non ignominia.* Ecce Angeli primi fuerunt, qui Christi honorarunt crucem & prius infame patibulum, de cuius gloria ipsa resurrectionis die mentionem facere non dubitarunt. *O si cognovissent & hoc Judæi, nunquam Dominum gloria crucifixissent.* O si cognoscerent & peccatores terræ, quem de novo per enormia sua delicta in crucem agunt; & miseri! *Quarite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum; dum prope est: Ecce crucem Domini!* 1. Cor. 2. 8. Isa. 55. 6.

3. Inter alia, quæ Angelus intra conclave Sacratissimæ Virginis Mariæ de Verbo incarnando proponebant, erat & hoc: *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus.* Et qualis hæc sedes erat? R. Crux fuit, regnavit enim à ligno Deus: *David, ait Theophylactus, vixit & regnavit per mansuetudinem, & Dominus per mansuetudinem suscepta cruce regnavit.* Crux enim Christo JESU sceptrum regale est, diadema pulchritudinis, & virga potentia. Ita S. Andreas Cretensis in orat. de S. Cruce.

4. Dilectus ille Domini Discipulus, ubi descripsit Verbi æterni originem, & gratiæ plenitudinem, denique ad ista verba devenit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Et qualis hæc erat gloria, o dilecte Christi Discipule! quam in tuo divino vidisti Magistro? An forlasse quando in monte Thaboræo transfiguratus est? An in gloriosa ejus resurrectione à mortuis; An in ascensione in cœlum? An in Calvario monte? Ita est, & cum hoc ultimo determinatum est, quia gloria summa Christo Redemptori nostro crux fuit: *Cruce, ait prædictus Theophylactus, inter omnia maxima gloria Christi fuit, & etiamnum est, & in æternum erit; non enim à Nazaræis præcipitari, non à Jerosolymitanis lapidari, non ab Herode interfici, non alia voluit morte consummari, sed crucis expectare triumphum, ipsa enim est typus Monarchiæ singularis, ut in nomine JESU omne genu flectatur.* Theophyl. in Luc. 22. Philip. 2. 10.

5. Aspirabat de die in diem magis piensissimus Salvator noster ad mortem crucis, per quam genus humanum ab interitu erat redempturus, unde ad Patrem in fine ultimæ cœnæ post prolixam ad Discipulos adhortationem sublatis in cœlum oculis dixit: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te.* Et quæ, dices haud immerito, hæc Christi erat clarificatio? R. S. Cyrillus Hierosolymitanus super illa verba Joannis: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis; Vides quomodo gloriam propriam sciebat esse crucem; Et S. Joannes Chrysostomus: Ignominiam crucis non sui solius crucifixi, sed & Patris gloriam appellat.* Et pergit idem mitissimus orbis Reparator Christus in eadem emphatica ad Patrem

Drogo Ost.
d: triumph.

Patrem oratione: *Et pro eis ego sanctifico me ipsum*, id est, ait Cornelius, in sanctam hostiam me tibi offero & immolo post paucas horas in ara erucis pro salute hominum immolandus. O prodigium immensae in nos charitatis! quis audivit tale, vel huic simile? *Crux gloria tua est*, ait Drogo Ostiensis, *Crux imperium tuum est super humerum tuum. Portas portantem te: qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam: qui portat gloriam tuam, portat te: portantem autem te, portas super humerum tuum*. Ecce quid Crux sit.

1. Reg. 30. 22.

6. Ubi David Rex post superatos Amalecitas, ut gloriosus victor in Siceleg reversus est, gravis inter milites exorta est controversia, ut omnes de optimis spoliis ab hoste reportatis participare possint ac valeant. Illi, qui cum David cruento interfuerunt praelio, praelebant omnia spolia ad se solos debere devolvi: *Quia*, uti dicebant, *non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de praeda!* Illi verò qui ex mandato Ducis remanebant ad sarcinas & plaustra, similem requirebant spoliiorum partem. Quid in hac controversia David princeps iustus? partibus ritè auditis, in favorem determinavit illorum, qui ad custodiam hospitiorum & sarcinarum remanserant: *Dixit autem David: Non sic facite fratres mei de his, qua tradidit vobis Dominus, aqua enim pars erit descendens ad praelium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.*

Christus Filius David, Rex & dux noster cum peccato, morte & inferno duello conflixit mirando ac planè cruento, quem secuti sunt Apostoli & Martyres, atque innumeri alii, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ; nos autem hactenus remansimus ad rerum ac sarcinarum nostrarum custodiam, & nondum usque ad sanguinis effusionem restitimus; ergo nulla nobis pars erit de gloria & victoria Christi, ac de spoliis, æternæ beatitudinis? Audio à Crucifixo Domino responsum: *Equa pars erit descendens ad praelium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.* Interim sequamur nos hunc divinum Ducem nostrum alacriter in observatione mandatorum ejus, & in perferendis variis adversitatibus, dum etiam sine sanguine Martyres esse possumus; atque sic ab auditione mala non timebimus. Consolatur me Divus Aurelius Augustinus: *Quidquid*, inquit, *ex me mihi deest, usurpabit mihi ex Vulneribus Domini mei, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt fortuna, per qua effluant. Copiosa redemptio data est nobis in Vulneribus Jesu Christi Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ & perfectio virtutum.*


3. August. in
Manual.

7. Vates ille Regius, ubi in spiritu praevidit Christum Salvatorem nostrum & orbis Dominum per passionem ac crucem suam omnis creaturas renovaturum, hostesque nostros debellaturum,

cub-

cunctas exinde creaturas invitavit, ut in illius gloriam & honorem novum canticum depromerent: *Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.* Pfal. 97. 1. Supra quod S. Hieronymus: *Canticum novum, ait, est Dei Filius Crucifixus, quod nunquam auditum fuerat. Nova res novum habet canticum.* Hieron. hic. *Homo quidem passus est, sed vos cantate Domino. Passus est quidem homo, sed salvavit quasi Deus.* O cantate hic omnis terra.

Idem Propheta Jersæus invitat omnes ad laudandum DEum in signum, & allegoricè in Ecclesia Dei ob redemptionem & salutem per eundem Christum crucifixum partam: *Latentur cali, & exulter terra,* Pfal. 95. 11. & quare hoc? *Quia Dominus regnavit è ligno; & subdit: Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum.* Supra quod Fernandus: *Hæc est ergo summa arborum laus, quod exillarum genere nata, excisa, & fabricata sit* Fernand. in Gea. 1. sect. 5. *Cruce Christi, quam humeris portavit, in qua Crucifixus pependit, quam fecit imperii sui sceptrum, militiæ suæ vexillum; tantoque eam in honore habuit, ut eodem, quo Deus ipse adorationis gradu ab Angelis & hominibus colendam proposuerit.* Ex quibus mente attentiore perpensis non mirare amplius, quod David de Dominica cruce prædixerit: *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram;* S. Laur. Just. de ligno vitæ cap. 4. Considera, ait S. Laurentius Justinianus, *quanta sit virtus crucis: In die namque judicii sol obscurabitur, sed crux cunctis astris splendidior apparebit.* O crux, o lux, o dux ad cælum.



CONSIDERATIO CXLVII.

In cruce Domini nostri Jesu Christi omnis Christianorum gloria & victoria consistit.

Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Gal. 6. 14.

I.

Daniel Propheta draconem Babylonium absque gladio occidit & insignem ab eo victoriam reportavit, dum *culit picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os draconis, & disruptus est draco;* Dan. 14. 26. massa enim illa picea angustum ob-
Ginther unus pro omnibus. Aaaa tura-